

*Gossuinus, Dei gratia Tornacensis episcopus, Karissime sue nobili mulieri Joanne Flandrie et Hanonie Comitisse, ceterisque nobilibus personis et militibus ac aliis universis Christi fidelibus quibus presentes litere ostendentur, in domino salutem*

*Ex commisso nobis pastoralis dignitatis et sollicitudinis officio, circa subditos nostros tam corporum quam animarum periculis prospicere et ea que ad ipsorum utrobique pertinent salutem, cura vigili et sollicitudine diligenti tenemur promovere.*

*Igitur cum in parochia de Wasemonstre, que tam ampla existit et longua per circuitum, per locorum distantiam in baptismatis sacramento parvulis exhibendo, multa evenerint usque modo animarum pericula, preter alios parochianorum christianitatis defectus, et incommoditates antequam ad ecclesiam accedere possent eisdem frequentibus imminentes, Nos ad hujusmodi tam corporum quam animarum pericula compatientem habentes respectum, viro fideli et discreto Danieli presbytero de Wasemonstre, latori presentium, duos concessimus presbyteratus, ex subventione Christi fidelium, in parrochia sua instituendos, per quos tempore oportuno animarum periculis succurratur et corporum incommoditates subleventur.*

*Quia vero hujusmodi praepositum tam utile, tam perficuum, pium et honestum, sine vestra precipue et aliorum Christi fidelium subventione ad finem debitum perduci non poterit, et optatum a vobis domina commitissa tanquam a persona principali principium subventionis et auxilium praecipuum ad hoc opus effectui mancipandum rogamus affectuose et requirimus in domino diligenter; videlicet ut de terra vestra, propter vestre, predecessorum, successorumque vestrorum animarum salutem, ad ecclesias construendas, cimiteria facienda et ad mansuras presbyteris conferendas in perpetuum libenter et liberaliter conferre velitis, alium sicut necessitas evidens exigit de terra vestra adjacenti facientes succursum, ad presbyterorum ibidem perpetuo servientium debitam sustentationem.*

*Vobis autem personis nobilibus ac militibus ceterisque Christi fidelibus preces nichilominus in domino porrigimus in quantum possumus affectuosas, atque in remissionem peccatorum vestrorum, vobis fideliter, injungimus quatenus ad predictum opus consummandum, quod tam pium existit et necessarium, de bonis vobis a deo collatis, pias elemosinas et grata charitatis subsidia largiri studeatis, ut ab ipso qui proximos nostros tanquam nosmetipsos nos diligere precipit, per proximorum nostrorum tam necessariam subventionem, centuplum in celis recipere mereamini.*

*Speramus enim in domino firmiter, per hec charitatis opera pre ceteris erga deum supra offensis vestris vos facilius posse reformari.*

*Scituri pro certo, quod ad hujusmodi negotii promotionem, nosmetipsi auxilium nostrum et consilium, et de bonis nostris succursum liberaliter exhibebimus et libenter.*

*Datum anno domini M° CC° septimo decimo mense octobri. Consecrationis nostre anno quarto decimo.*